Vol. III. — Fasc. V. 30 aprilis 1928.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

V.

IANUARIO - APRILI 1929.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XIT.

Quidam nuntii ad nos allati et quaedam Pontificia documenta, non ita pridem edita, ea sunt, quae statim ad notitiam universae Societatis perferantur. Quod equidem dum libentissime praesto, quo clariore hae res in luce ponantur, eas nullis aliis miscendas esse duco, iisque solis (addito tantum in fine annuo Defunctorum Catalogo ad mensam legendo) hodiernus " Memorabilium „ fasciculus constabit.

De nece duobus Nostris Missionariis intentata.

1. — Et primum quidem, gravissimus nobis sese offert nuntius nuper a Superiore regulari Missionis Calcuttensis (Prov. Belg.) ad Patrem Nostrum relatus de nece Patribus Alberto Demonceau et Iosepho Andries intentata in pago Ambakona districtus Jahspurensis in Dioecesi Ranchensi.

Res ita se habuit: vir quidam " Bokko „ vulgo nuncupatus, " *zemindar* „ (quem dicunt) seu dominus pagi Tigra, a quo etiam Ambakona pendet, et frater principis indigenae totius regionis Jahspur, iam diu christianos vexare coeperat, ut a fide catholica desciscerent, eosque etiam diebus festis laborare cogebat, ut ab audienda Missa aliisque sacris caeremoniis prohiberentur. Quod cum ipso quoque die Dominicae Resurrectionis se exigere dictitaret, pridie Paschatis P. Albertus Demonceau, qui Stationis Ambakonae curam gerit, fero illi viro epistolam scripsit, rogans ut tam magno Christianorum festo die fideles ad ecclesiam venire et ab operibus servilibus li-

beros esse sineret, promittens eos sequenti feria secunda totum id laboris praestituros esse, quod die dominica exigeretur. Respondit Bokko se epistolam Patris non intelligere, eumque ad se venire iussit. Sed Pater per eumdem nuntium indicavit litteratum quemdam, a quo " zemindar „ peteret prioris epistolae explicationem; atque iteratae paulo post iussioni Tigram eundi, reposuit se illo die (erat enim Pascha) Ambakonam relinquere omnino non posse. Et feliciter quidem, nam pro certo nunc habetur impium virum iam tunc mortem Patris intra se decrevisse, eumque ad se venientem nullo negotio nulloque teste occidere voluisse.

Accepto Patris responso, Bokko ira incensus: " Me Pater, — ait, — adire non vult? Eum ego adeam, et videbitis ... ! „. Et sane illa ipsa nocte, hora circiter secunda matutina diei 1 aprilis, Pater Demonceau ex improviso evigilans insolitum audit rumorem circa pauperrimi ac solitarii sui habitaculi ianuam (domos enim proprie dictas in Jahspur aedificare ab infideli principe indigena inique prohibentur Missionarii): clamat Pater et rumor cessat. Sed de re certior fieri cupiens, Pater ad ianuam venit; vix aperuit, et ecce duo viri (Bokko ille cum socio) acinace Patrem impetunt eique ianuam frustra claudere conanti frontem ac praesertim manus, quibus ensem ipsius Bokko ex parte acutae laminae comprehenderat, miserrimum in modum lacerant. Potuit tamen Pater sellam arripere eaque se aliquantulum defendere, dum feroces illi grassatores effugientem victimam mediis in tenebris attingere volentes, miseram casae supellectilem armorum ictibus percutiunt.

Inter haec, P. Iosephus Andries, qui e tertia probatione Ranchensi per illos dies ad ministeriorum experimentum peragendum illuc missus erat, rumore expergefactus, ad pugnae locum accurrit. Grassatores, qui eius praesentiam ignorantes cum solo P. Demonceau sibi agendum esse sperabant, stupent primum, ac priore praeda relicta novam victimam quaerunt et vehementer caedunt. At P. Iosephus Andries, validioribus praeditus viribus, vel inter tenebras et quamvis iam vulneratus, unius invasoris acinacis hastam arripiens confregit proiecitque, ipsumque latronem, tanto impetu reppulit, ut is e colle, quo nostra Statio Ambakonensis insidet, ad vallem rueret (1). Manebat tamen ferus Bokko ensem semper manu tenens et capiti Patris insidians, cuius lethales ictus dextero qui-

(1) Postea rescitum est hunc fero Bokko dignum socium fuisse ipsius uxorem mentitis viri vestibus indutam. Uterque nunc in carcere custodiuntur.

dem brachio Pater declinabat, quanta tamen cum ipsius brachii pernicie id fieret, facile intelligitur. Potuit demum ensem ambabus manibus comprehendere et detorquere, atque, horrendam manuum concisionem nihili faciens, singularem certamen inermis cum armato tamdiu sustinuit, donec ambo e colle ad vallem deciderent. Tunc denique Bokko pugnam deseruit et aufugit.

Pater Andries, sanguine undique manans, e valle ad solitariam Missionis domunculam ascendit, ibique Patrem Demonceau vulneratis manibus sclopetum missili glande instruere frustra conantem suis haud sanioribus manibus adiuvit, atque ita Patres, laxata ignifera rota, christianos ruricolas in auxilium vocarunt. Accurrunt illico boni fideles et sanguinolentos Missionarios, meliore qua possunt adhibita cura lecticis impositos, Jashpurnagar, ad pagum regionis principem, lento gradu deferunt: lugubris sane pompa, quae ab hora quarta matutina ad tertiam fere post meridiem perduravit!

Princeps Jahspurensis indigena, quem *Rajah* seu parvum regem dicunt, magnum de re dolorem ostendit, medicum insignem e Ranchensi urbe accivit, suos automobiles currus Patribus commodavit, primis vulneratorum curis ipse adstitit et vulneribus lenimenta apponere adiuvit; adfuit etiam quando P. Augustus Bossaers, districtus Jahspurensis Superior, qui statim e sua Statione Gholeng cum P. Ludovico Claeskens advenerat, morientium Sacramenta ministravit P. Iosepho Andries, qui ob ingentem effusi sanguinis copiam maius mortis periculum praeseferebat. Sed haec omnia infidelis viri benevolentiae testimonia Nostros haud plene securos faciunt, aut saltem non sufficiunt ad crimen reparandum; ideoque R. P. Mauritius Veys, totius Calcuttensis Missionis Superior, qui sine mora illuc accurrerat, prudenter hanc occasionem arripuit, ut principem rogaret ne deinceps Missionarios ab exstruendis veris domibus et templis prohiberet, quo facilius et tutius (inter alia emolumenta) ab impiis huiusmodi grassationibus se tueantur. Quod quidem non exiguus esset effusi pro fide catholica Nostrorum sanguinis fructus!

E duobus vulneratis, P. Demonceau post paucos dies in urbem Ranchi transferri potuit, ubi ab europaeo medico curatur: vita periclitari non videtur, sed manus perpetuo et graviter laesae manebunt. Pater Iosephus Andries vero, dum P. Superior Missionis die 11 aprilis ad Patrem Nostrum litteras dabat, vitae periculum nondum superaverat; sed cum graviorem nuntium deinde non acceperimus, sperare licet etiam illum carissimum aegrotum sani-

tatem esse recuperaturum, quamquam et ipse, non minus undecim gravioribus vulneribus, quae consui debuerunt, et triginta circiter levioribus plagis confossus, vix fieri potest ut perpetuam quandam laesionem non sit habiturus. Interea, dum haec nobis referebantur, illi e Jahspurnagar ad Stationem Gholeng translato, praeter PP. Bossaers et Claeskens illic degentes, assiduis quoque curis assistebat eius germanus frater P. Georgius Andries, qui e Statione Majhatoli ipsi commissa statim vocatus erat (1).

Documenta quaedam Pontificia.

2. -- Sed ad tria veniamus Pontificia documenta, quae in hoc ipso fasciculo post has meas litteras invenietis, quaeque brevem explicationem exigunt.

Die 31 ianuarii omnes Pontificiae Universitatis Gregorianae Lectores ac Magistri, praeeuntibus P. Iosepho Gianfranceschi Rectore et P. Dominico M. Palermo Lazzarini studiorum Praefecto (Prov. Rom.), Aedes Vaticanas adierunt a Summo Pontifice excipiendi. Devotae Patris Rectoris orationi respondit Beatissimus Pater per longam eamque insigni benevolentia plenam allocutionem, quam integram infra referemus, quippe quae dignissima profecto sit, quae cum universa Societate communicetur; eo magis quod Sanctitas Sua illis Patribus benedicens, apertis verbis benedicere Se velle dixit " toti " ingenti illi supernaturali eorum familiae, quae peculiari prorsus " ratione e Corde Dei egressa est, e Corde Iesu, cuius nomine est " insignita „.

In eadem qua Patres excipiebantur aula, prope thronum Pontificium apte dispositi exstabant libri a Professoribus Athenaei Gregoriani toto hoc Pii XI pontificatus septennio typis editi, quos Beatissimo Patri tamquam filiorum munusculum auctores offerebant. Gratissimam habere dignatus est Summus Pontifex hanc oblationem librorum, quos omnes proximo mense aprili dono dedit novo ecclesiastico Collegio Nepomuceno pro Cechoslovachiae Dioecesibus nuper in Urbe condito; quod Collegium cum in Epistola Apostolica " Caritatem decet „ de millenaria S. Wenceslai celebritate, die 4 martii huius anni ad illos Episcopos data, Summus Pontifex bonis

(1) Nuperrime rescivimus etiam P. Iosephum Andries die 12 aut 13 aprilis transferri potuisse in urbem Ranchi, ubi ambo carissimi vulnerati scite curantur et paullatim convalescere incipiunt.

omnibus commendaret, honorificam de Societate mentionem addidit in haec verba: "... Praeterea meminisse volumus quantopere " Seminarium illud S. Wenceslai, Pragae anno 1559 a Societate " Iesu conditum, ad religionis incrementum contulerit „ (1).

Alterum documentum, breve illud quidem, sed pretiosissimum, est chirografa Summi Pontificis commendatio Operis pro Secessibus opificum; et quamquam, rogante P. Dominico Gori (Prov. Rom.), Operis Moderatore pro Latio, pro Urbe potissimum et Italia data est, hos fines sane excedit, cum ad Opus ipsum dirigatur. Nec praetereundum, Beatissimum Patrem hanc paginam sua manu totam exarasse eo ipso faustissimo die 11 februarii, quo " Romanae Quaestioni „ finis, plaudente orbe, feliciter fiebat.

At maius pro tota Societate momentum habet tertium documentum, id est Epistola Pontificia ad Eminentissimum Cardinalem Ludovicum Ernestum Dubois, Archiepiscopum Parisiensem, die 28 martii data, quae tota est in Exercitiis Spiritualibus etiam atque etiam laudandis, occasione sumpta ab " hebdomada „ quae hac de re paulo post Versaliis in Gallia habenda erat. Documentum ipsum infra legetis, Reverendi Patres Fratresque carissimi, et nobiscum gratias Deo agetis quod haec spiritualia arma, a Beatissima Virgine per Sanctum Parentem nostrum Ignatium Societati commissa, a suprema Ecclesiae auctoritate tanti semper fiant.

Ad Beatissimum Patrem Pium XI quod attinet, nullam revera vel remotam occasionem praetermittit, quin Exercitia S. P. Ignatii commendata velit: ut unum recens commemorem, in ea Epistola Apostolica, cuius supra memini, de millenaria S. Wenceslai celebritate, quaedam opera peculiari laude digna, quae in Cechoslovachia foventur, enumerans: " Probe scimus, — ait, — pias ad " S. Ignatii mentem exercitationes in bonum omnium cuiusvis or" dinis hominum plurifariam tradi „ (2).

Sed, ad " hebdomadam „ Exercitiorum ut revertamur, paulo fusius de ea mihi omnino loquendum est.

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 136.
(2) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 135.

De " hebdomada „ Exercitiorum Versaliis habita.

3. — Ad Exercitia S. P. Ignatii illustranda iam inde ab anno proximo exeunte indictus fuerat conventus Sacerdotum, ineunte mense aprili huius anni Versaliis habendus; qui quidem, nomine hodiedum usitato " hebdomada Exercitiorum „, etsi quatuor tantum dies (2–5 aprilis) perduraverit, appellatus, statuto tempore revera habitus est et exitum spe longe maiorem est sortitus.

Per illos dies in nostro Versaliensi Collegio Sanctae Genovefae (Prov. Franc.), praeter 137 Nostros (e quibus 120 ex quatuor Provinciis Assistentiae Galliae, 17 ex aliis Assistentiis) 200 eoque amplius convenerunt Sacerdotes saeculares ex 54 Dioecesibus Galliae (1), inter quos sat multi Moderatores vel Professores Seminariorum, quidam Sacerdotes exteri, et 23 Religiosi (Benedictini, Cistercienses cum Reverendissimo D. Anselmo Le Bail Abbate de Chimay in Belgio, Trappistae, Praemonstratenses, Carmelitae Discalceati, Franciscani, Eudistae, Redemptoristae cum suo Provinciali, Maristae, Sacerdotes a S. Francsico Salesio, Sulpiciani, Oratoriani, Patres Picpusiani, Fratres a S. Vincentio de Paulo), praeeuntibus aliquot Episcopis (2); quin et Eminentissimus Cardinalis Ludovicus Ernestus Dubois, Parisiensium Archiepiscopus, primo conventui praefuit, in eoque inter omnium adstantium plausus Pontificiam illam Epistolam sibi datam legit et Apostolicam Benedictionem ex Sanctitatis Suae commissione impertivit. Eminentissimus autem Rhedonensium (Rennes) Archiepicopus Cardinalis Alexius Charost integris tribus diebus magna cum benevolentia adfuit et singulari prorsus cum sagacitate omnes discussiones dirigebat complebatque, atque summa rerum capita in fine retractabat. — Summatim, ad 350 numerantur qui " hebdomadae „ interfuerunt, ex 10 nationibus, e 60 circiter Dioecesibus (nam praeter 54 Dioeceses Galliae, ut diximus, aderant etiam per aliquem e suis Sacerdotibus saecularibus Dioeceses Coloniensis Germaniae, Friburgensis Helvetiae,

(1) Galliae Dioeceses omnes cum Algeria ad 90 numerantur.

(2) Praeter duos Cardinales et Nuntium Apostolicum, de quibus mox sermo est, Reverendissimi Domini, qui quidem identidem tantum nec omnes simul aderant, hi sunt: Ioannes Aem. Chesnelong, Senonensis (Sens) Archiepiscopus; Beniaminus Roland-Gosselin, Coadiutor Episcopi Versaliensis; Georgius Audollent, Episcopus Blesensis (Blois); Gustavus Lazarus Garnier, Lucionensis (Luçon) Episcopus; Hippolytus de la Celle, Episcopus Nanceiensis (Nancy); Emmanuel Anatolius Chaptal, Episcopus Auxiliaris Parisiensis.

Tornacensis Belgii, et una, nescio quam, Iugoslaviae) et ex 15 Religiosorum Familiis.

Argumenta discussioni proposita multa quidem et forte nimia erant: de methodo Exercitiorum secundum varias exercitantium classes, de Fundamento, de Regno Christi, de electione, de Evangelio in Exercitiis, de contemplatione ad amorem, etc. De iis vero relationes seu lectiones, a peritissimis quibusque viris quam diligentissime compositae et apte recitatae, magna cum attentione ac, paene dixerim, cum aviditate audiebantur. — Vespere post Eucharisticam benedictionem tradebantur puncta in communi pro matutina meditatione. — Die 5 aprilis RR. DD. Aloisius Maglione, Nuntius Apostolicus, Versalias petiit et, peropportunis factis verbis, benedictionem Eucharisticam impertitus est, qua " hebdomada „ finem habuit.

Una omnium vox fuit rem optime cessisse et perutilem fuisse et in posterum quoque identidem esse repetendam. Magnae item mutuae aedificationi omnibus fuerunt caritas vere fraterna et serena concordia, quae tot inter tamque varios homines undique adventantes vigebant; ad id plurimum iuvit optima " hebdomadae „ praeparatio, cui collata opera multum pro cuiusque munere adlaborarunt Director P. Ludovicus Poullier (Prov. Camp.), Secretarius P. Albertus Valensin (Prov. Lugdun.), Secretarii adiutor P. Ioannes Villain (Prov. Franc.), itemque P. Ludovicus Barde (Prov. Tolos.) et P. Fridericus Gibert (Prov. Franc.); Patres autem Collegii Versaliensis hospitalitatis officiis comiter admodum functi sunt.

Ut Sacerdotibus illuc convenientibus gratum fuit audire, ita non est nobis silentio praetereundum, quod haud semel ibi est commemoratum: id est in ipso sacello nostri Collegii Versaliensis, quod olim ad Moniales a Coenaculo pertinebat, Reverendissimum Dominum Achillem Ratti, quem nunc Pium XI venerabundi nominamus, quarumdam Religiosarum italicarum vota excipientem, aliquoties Missam celebrasse.

De his omnibus optimos nuntios laetissimus audivit paulo post Pater Noster, non modo ex Nostrorum litteris, sed etiam viva voce a quibusdam Reverendissimis Praesulibus ad limina Apostolorum venientibus, praesertim ab Archiepiscopo Senonensi et Episcopo Coadiutore Versaliensi, qui maximis laudibus " hebdomadam „ Exercitiorum extollebant.

Mox acta illius conventus, curantibus Patribus quorum supra memini, in lucem edentur, quae non sine magna utilitate etiam extra Galliam usui esse poterunt.

De morte P. Antonii Chiavassa in Alaska.

4. — Antequam huic epistolae finem faciam, in longinquam Alaskam vos invito ut piam humilis cuiusdam Missionarii mortem contemplemur.

P. Antonius Chiavassa (seu Keyes, ut in America vocabatur), anno 1866 Taurini in Italia natus, Societatem in Provincia Taurinensi ingressus est anno 1882. In Missionem tunc Montium Saxosorum anno 1899 missus indeque ab anno 1900 Alaskanae Missioni addictus, cum haec a Provincia Taurinensi anno 1907 seiuncta est et Provinciae Canadensi primum ac deinde ab anno 1913 Provinciae Californiae commissa, Pater Chiavassa carissimae Missionis vices secutus, iisdem illis Provinciis successive adscriptus est. Per viginti septem annos, nunc in ista nunc in illa Statione, fere semper solus seu, ut ipse italice perbelle dicebat, " *solo soletto con Gesù* „, Eskimensium conversioni totum se dedit, eorumque varias linguas bene callens, mitis et aequaminis, simplicium illorum indigenarum corda sibi devinxerat.

Ante duos annos gravi morbo correptus, in Californiam ad valetudinem curandam missus, vix aliquantulum convaluerat, cum statim, ut Alaskam rursus petere sibi liceret, vehementer exoptare et rogare coepit. Rediit quidem, at vires corporis animo pares non iam erant. Post aliquot menses, iterum paralysi tentari coeptus, morientium Sacramentis munitus, ad mortem tranquillus serenusque sese paravit. Ultimis quindecim diebus (ut R. P. Philippi Delon, Missionis Alaskanae Superioris, verbis utar) " tota eius vita fuit quasi " unica incessans oratio : suavissimas eiaculationes constanter pro- " ferebat ad Christum Dominum, ad Beatissimam Virginem Mariam, " etc., quam frequentissime etiam S. P. N. Ignatium interpellans. " Affectuosissimo amore et pietate erga " tam bonam matrem So- " cietatem „ repletus, coram omnibus dictitabat felicitatem suam " omnimodam, eo quod in eius amplexu moreretur „. Cum ei nuntiatum est Patrem Nostrum ipsi peculiarem benedictionem misisse et pro eo centum Missas applicasse, vehementer gavisus est et P. Superiori commendavit ut ipsius nomine Paternitati Suae amplissimas ab imo corde gratias persolveret.

Demum, summo mane die 1 octobris 1928, quo die in Alaska agitur festum S. Teresiae ab Infante Iesu totius Vicariatus Apostolici Patronae, paulo post mediam noctem, dum P. Superior in eo est ut ei sacram Communionem deferat, repente apud eum iam iam morientem vocatus, ultima eius suspiria suscepit.

Non possum hanc narrationem melius concludere quam iisdem fere verbis, quibus utitur P. Superior haec referens:

" Eius anima ad caelum (ut sperare fas est) evolavit, eis annu-" meranda quotquot veri Societatis filii decessere. Faxit Deus ut " illa e caelo nos protegat et alios ad nos operarios mittat in suum " sufficiendos locum! „

Vestrum omnium ss. SS. et precibus me enixe commendo.

Romae, die 30 aprilis 1929.

Vestrum omnium
Servus in Xto.

HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

ASSISTENTIA SLAVICA

DIE 17 APRILIS 1929 CONDITA.

Decreto die festo Sollemnitatis S. Ioseph, 17 aprilis 1929, a Patre Nostro dato, quod cum universa Societate communicatum est, instituta est nova Assistentia Slavica, cuius condendae facultatem Praeposito Generali contulerat Congregatio Generalis XXVII decreto 20.

Status novae Assistentiae, ut ex Catalogis huius anni eruitur, hic est:

Provinciae	*PP.*	*Schol.*	*Coad.*	*Univ.*
Cechoslovachiae	99	78	72	249
Iugoslaviae (Vicepr.)	72	31	60	163
Poloniae Mai. et Maz.	86	126	87	299
Poloniae Minoris	143	165	139	447
Universi	400	400	358	1158

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS PII XI

AD PROFESSORES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE DIE 13 IANUARII 1929 (1).

Oratio P. Iosephi Gianfranceschi Rectoris ad Summum Pontificem (2).

Beatissimo Padre,

In questo faustissimo Giubileo Sacerdotale della Santità Vostra, noi vorremmo portar qui le primizie di quel tributo di devozione che si apprestano ad offrirVi i figli Vostri diffusi in ogni lembo della terra.

Per molti titoli noi dovremmo gareggiare perchè sia più fervido e più profondo l'ossequio nostro: noi attendiamo alla formazione intellettuale dei Ministri del Santuario, che sono l'oggetto delle Vostre cure più assidue, e qui, in questa Roma, dove palpita il cuore della Cristianità, qui dove ci è dato attingere alla sorgente stessa, alla Cattedra di verità, quella luce che cerchiamo di diffondere nei nostri giovani, e in questa Università Gregoriana che per tanti titoli è Vostra: Vostra, del Pontefice Romano, perchè così fu fondata, che fosse a più immediato servizio della Santa Sede, perchè fu consacrata dai Martiri e dai Confessori che qui si addestrarono a difendere la Chiesa di Cristo, perchè fu illustrata da tanti Prelati, Pastori, Porporati, Pontefici Sommi, che qui si formarono alle Scienze Sacre, Vostra in modo più particolare, perchè sedeste Voi stesso un tempo tra i suoi alunni, Vostra perchè da Voi ha ricevuto un nuovo splendore e quasi una vita nuova col recente *Motu proprio* con cui avete voluto ampliarla in modo che sia veramente l'Università di tutti gli studi ecclesiastici.

Se noi ricordiamo qui questi vincoli non è, Padre Santo, per domandare una speciale predilezione, ma per eccitare in noi un più vivo e più fecondo attaccamento alla Cattedra di Pietro e alla Vostra Augusta Persona. Anzi, mentre li ricordiamo, noi sentiamo più profondamente la deficienza nostra nel corrispondere a questa più speciale missione che il Signore ci ha affidato.

È con questi sensi di riconoscimento della nostra pochezza, ma insieme con

(1) V. supra, pag. 284.

(2) Ex ephemeride *Osservatore Romano* diei 2 februarii 1929.

sensi di serena fiducia nella Paterna Bontà del Cuor Vostro, che deponiamo ai Vostri Piedi l'espressione del nostro gaudio nella festa del Sacerdozio Vostro, e dei voti che eleviamo all'Altissimo per ogni migliore prosperità della Vostra Sacra Persona e per un sempre accresciuto splendore del Romano Pontificato, con la rinnovata protesta della nostra gratitudine, della nostra devozione, della nostra piena sudditanza ai Vostri ordini, alle Vostre direttive, ai Vostri desideri.

Povero segno dell'ossequio nostro, ci permettiamo di umiliare ai Piedi Vostri il frutto di alcuni nostri lavori intellettuali, e con questi, il rinnovato proposito di voler con tutte le nostre forze attendere tanto alla santificazione nostra quanto alla santificazione delle giovani speranze del clero e della Chiesa che ci sono affidate, perchè non sia frustrata la fiducia che il Vicario di Gesù Cristo si degna riporre su le nostre povere fatiche, e il nostro insegnamento produca nell'animo di quei che ci ascoltano quella saldezza di fede, quel fervore di carità, che forma gli apostoli e i martiri.

Questo, che è dono di Dio, ci sia impetrato, Padre Santo, per la Vostra Apostolica Benedizione.

Allocutio Summi Pontificis (1).

A tale indirizzo il Santo Padre rispose dando il Suo benvenuto a quei dilettissimi figli, i benvenuti tra i benvenuti nella Casa del Padre comune che perciò stesso è la casa di tutti i figli, la casa della grande famiglia cattolica, in un modo del tutto speciale, la casa di quelli che hanno tanti titoli ad essere i prediletti tra i figli, quei titoli che essi ben sapevano di avere e che il loro così cordiale e verace interprete aveva ben mostrato di conoscere anche quando aveva l'aria di disconoscere.

Poche parole il Santo Padre voleva aggiungere, per dire che poche visite mai erano state e mai potevano riuscirGli più gradite e più care di quella che Gli veniva fatta in quel momento. La sola presenza di quei Suoi figli, anche senza l'aiuto così bello e luminoso dell'interpretazione che ne aveva ascoltata, diceva tante cose, tanto lavoro che essi venivano compiendo, tanta seminagione di verità e di bene che venivano spiegando in solchi così promettenti in tutte le direzioni dell'immenso campo cattolico. Essi avevano ben ragione di credere che il loro augurio per il Giubileo doveva riuscire profondamente opportuno per tanti e così particolari titoli. È verissimo. Anche il Santo Padre era passato là, dove ora essi sono e la loro presenza Gli richiamava più dolce e gradita la memoria di quei giorni che Egli aveva passato appunto in quei solchi

(1) Ex ephemeride *Osservatore Romano* diei 2 februarii 1929.

che gli antecessori loro avevano coltivato e che essi, come loro, vengono ora coltivando. La loro presenza Gli faceva più devotamente, più sentitamente ringraziare la Divina Provvidenza e Bontà anche di questo dono vero, di questa vera grazia — chè tale infatti Sua Santità la reputa — la grazia di essere stato fra gli alunni di una volta dell'Università Gregoriana, una grazia grande tra le innumerevoli grazie, tutte grandi, che la mano e il Cuore di Dio hanno così largamente versato nel lungo cammino dei cinquanta anni che ormai il Santo Padre conta dalla prima Ordinazione sacerdotale, quella Ordinazione sacerdotale con la quale Egli cominciava il Suo sacerdozio, mentre cominciava insieme il Suo alunnato Gregoriano.

Sua Santità pertanto si diceva particolarmente riconoscente che i professori della Sua Università avessero avuto il pensiero, e così bene e largamente lo avessero assecondato, di venire ad esprimerGli la loro partecipazione, i loro auguri, le loro promesse di preghiera e di cooperazione mediante il loro alto e nobilissimo lavoro all'inizio della Sua celebrazione giubilare.

Essi avevano detto, e per loro lo aveva detto il loro fedele interprete, che le belle cose ricordate non erano dette quasi per aspirare ad una particolare predilezione. Ed infatti aveva detto benissimo il P. Gianfranceschi; benissimo, perchè i professori dell'Università Gregoriana non hanno bisogno di chiedere quella predilezione, giacchè essi sanno di averla e sanno anche di meritarla; essi lo sanno, lo devono sapere, non ostante che la loro modestia li distolga da questo pensiero. Ma la modestia non è nemica della verità e tutti coloro che lavorano e spendono la vita intorno a quelli che sono le speranze della Chiesa, le speranze del Papa come Vicario di Cristo, come Vescovo — per usare la parola di un Suo antecessore — non solo di Roma, ma Vescovo cattolico, Vescovo universale, Vescovo di tutta la Cristianità, devono sapere di obbligarLo con questo alla Sua riconoscenza paterna e con essa di meritare la riconoscenza stessa del Cuore di Gesù benedetto. Ed il Santo Padre alla sua volta ben sapeva con quanta cura quei professori vengono preparando quelli che saranno un giorno dappertutto fari di luce, centri irradiatori di carità, di fede, anime ricche di scienza e più ancora ricche di santità, addestrate, come sono, da loro, in tutti i diversi rami dell'insegnamento, non solo ad essere maestre, ma anche ad essere vere anime di santi sempre, di martiri occorrendo.

A queste belle, sante e dolci cose i professori dell'Università Gregoriana avevano voluto aggiungere un segno visibile della loro pietà filiale nei volumi, nei quali hanno raccolto tanti tesori di studio e di scienza. Essi avevano certamente pensato che dei libri, e dei tali libri, sarebbero tornati graditi all'antico Bibliotecario che non può dimenticare quegli amori che sono così legittimi, così belli, così confortanti, così sempre utili, come gli amori dei buoni libri. Anche di questo il Santo Padre li ringraziava di tutto cuore, e segno e pegno della sua riconoscenza paterna, segno e pegno — come ne pregava Iddio — della Benedizione divina e di tutti i divini favori, dal profondo del cuore impartiva a loro quella Benedizione Apostolica che da buoni figli erano venuti a chiedere: a loro ed in ciascuno di loro, alle loro bellissime e sante fatiche di studio, di pietà, di apostolato, di illuminazione e di santificazione prima di loro stessi e poi degli altri e in così larga misura; a loro e a tutti i loro lavori, opere e fatiche che spendono nel campo così vasto e nobile che la Divina Provvidenza loro assegna; a loro e a tutti quelli che, giovani anime e giovani vite, primizie e promesse di sacerdozio e di apostolato vengono ad attingere alla ricchezza delle anime loro; a loro ed ai loro studi, cioè alla corrispondenza con la quale confortano chi a loro tante fatiche consacrano; a loro e a tutte quelle che ciascuno di loro aveva lì dentro portato nella mente e nel cuore, nel pensiero e nell'affetto: cioè non solo alle famiglie e parentele che ciascuno di loro ha di natura, che è pur opera di Dio, ma ancora tutta quella grande famiglia soprannaturale in modo così particolare uscita dal Cuore di Dio, dal Cuore di Gesù, col quale essi si nominano, tutta quella famiglia di cui la loro presenza offriva la magnifica e vasta espressione dilatata per tutto il mondo. Su tutto questo e su tutti questi il Santo Padre voleva che scendesse la Sua Benedizione.

Terminato il discorso il Santo Padre impartiva la Benedizione Apostolica e quindi rientrava nelle Sue private stanze.

Latina interpretatio Allocutionis Summi Pontificis:

Beatissimus Pater praemisit caros prae omnibus expectatosque eos ad Se venisse ac salutavit filios dilectissimos, Domum communis Patris ingressos, Domum magnae familiae catholicae, Domum prae primis eorum quos tot rationes paedilectos inter filios facerent. Eas porro rationes ipsos bene nosse, quas eorum interpres — etsi non videretur — in suo

alloquio bene aeque ac vere indicasset. Paucas visitationes Se habuisse vel habiturum hac cariores vel iucundiores. Delectari se eorum vel solo conspectu, etiamsi nulla praefatio praecessisset: vel solam eorum praesentiam dicere laborem cui ipsi insisterent, et veri bonique sationem, quam ex omni parte immensi agri catholici facerent. Iure ergo ipsos confidere sua auguria — tantis suffulta momentis — Sanctitati Suae fore acceptissima.

His dictis, substitit tantillum mox addidit:

Nos, Nos Ipsi, fuimus ubi nunc vos estis, vestroque in conspectu dulcior et gratior memoria redit eorum dierum, quos una cum praedecessoribus vestris posuimus. Praesentia vestra altius et ferventius Nos adducit in gratiarum actionem pro vero hoc dono, pro vera hac gratia — talem namque reputamus — quod olim inter Universitatis Gregorianae alumnos cooptati fuerimus. Gratia haec sane singularis — inter innumeras quas divina Bonitas in Nos abunde effudit — cum eodem anno contigerit ut et Sacerdotium Nostrum auspicaremur et simul Gregorianum frequentare iniremus. Quapropter peculiariter grati sumus quod Nostrae Universitatis Professores ad Nos bene ominaturi ac preces et suam cooperationem (alto et nobilissimo suo labore) oblaturi accesserint sub ipsa Iubilaei Nostri initia.

Et parva pausa facta, statim in hanc sententiam prosecutus est:

Quae ab ipsorum Rectore dicta et memorata fuerint, non ideo prolata esse (eodem fatente) quasi peculiarem praedilectionem aucuparentur. Optime: re quidem vera eos pro comperto habere nihil opus esse ad eiusmodi praedilectionem sibi comparandam, cum profecto scirent illam se habere sibique demereri: scirent namque, et debite quidem, modestia ipsorum nequidquam repugnante. At, quoniam veritati modestia non obstat, qui operam et vitam in eos excolendos impendunt qui sunt Ecclesiae spes, Christi Vicarii spes, — Episcopi non Romae solum, verum Catholici, Universalis, totius Christianitatis (ut verbis cuiusdam Sui Antecessoris uteretur) — eiusmodi homines scire debent paternam ac Pontificiam gratiam et per hanc ipsius Cordis Iesu gratiam sibi demereri. Sanctitatem Suam probe nosse quanta cura eos Professores homines instruerent quorum animae divites, olim non sibi solum fidei et caritatis faces, sed aliis etiam earumdem fontes exsisterent; utpote viri sic per eos in diversis doctrinis exculti, ut earum evadant magistri: viri praeterea semper ac genuine sancti, et, si opus fuerit, etiam martyres.

Post haec sermonem convertens ad donum oblatum (volumina scilicet omnium operum a Professoribus editorum) ita sensum suum aperuit:

